Sermo beati augustini episcopi de charitate

Diuinarum scripturarum multiplicem habundantiam
latissimamque doctrinam, fratres karissimi, sine ullo
errore comprehendit: et sine ullo labore custodit,
cuius cor plenum est charitate: dicente apostolo,
plenitudo est charitas legis: Et in alio loco:
finis autem legis est charitas. Et iterum dicit:
finis precepti est charitas de corde puro et
consciencia bona et fide non ficta: Si ergo non vacat
omnes paginas scripturarum euoluere: tene cha-
ritatem: et in ea inuenies omnem scienciam.
Quid est autem finis precepti? Nisi precepti ad-
impletio? nisi legis plenitudo. Et ergo
ibi dixit: plenitudo legis est charitas: hoc
etiam hic dixit: finis precepti est charitas.
Nec dubitari ullo modo potest: quod
templum dei sit homo: in quo habitat
charitas: dicit enim Iohannes: deus charitas est;

Hec enim dicente apostolo: nobis charitatis excellentia
commendat: Non habet aliud nisi quod gaudeat:
venturam potuerit; Ipse quoque dominus noster
eos verbo veritatis: quod est verbum patris
divinus qui de celo descendit: Mandatum inquid
Novum do vobis. Ut diligatis invicem; Et
iterum: In hoc scient omnes quia estis mei discipuli
Si vos invicem dilexeritis. Ille enim qui
venit pro servis irrisionem; carnis primam
corruptionem: Et vetustatem veteris mortis
nostre: sive mortis novitate dissolvere:
mandato novo fecit hominem novum: Hoc
enim verbo erat ut homo moreretur: Quod
ne semper valeret in homine: lex nova facta
est: Ut deus moreretur: Sed quia in carne
mortuus est: non in divinitate: per sempiternam
vitam divinitatis promisit non esse sempiternum
interitum carnis: Itaque sicut dicit apostolus:
Mortuus est propter delicta nostra: Et resurrexit
propter iustificationem nostram: Quem ergo mortis

vetustas: attulit vite novitas: Nec q(uod) vetus
p(ec)c(a)t(u)m expellit novum mandatum: Una
inter quibus vetus p(ec)c(a)t(u)m vix extinguitur:
mandato novo extinguitur cupiditas:
et amplectitur charitas: Sicut enim
radix om(n)i(u)m malorum est cupiditas: Ita
et radix om(n)i(u)m bonorum est charitas:
tota magnitudinem et latitudinem divinorum
eloquiorum: secura possidet charitas: qua
dominum proximum diligimus: Docet enim
nos verus celestis magister. et dicit: diliges
dominum deum tuum. ex toto corde tuo. et
ex tota anima tua. et diliges proximum sicut
te ipsum: In his duobus preceptis: universa
lex pendet et prophete: Si non ergo vo
vacat omnes paginas sacras perscrutari: Omnia
volumina sermonum evolvere: scripturarum
secreta penetrare: tene charitatem ubi pendent
omnia: Ita tenebis etiam quod ibi non didicisti:

Si tamen nosti charitatem: aliquid nosti unde et illud
pendet quod forte non nosti. Et in eo quod in
scripturis intelligis charitas ~~patet~~ patet in divinis
sermonibus qui charitatem tenet in moribus:
Qua ~~[illegible]~~ fert sectam charitas: dulce ac salubre
vinculum mentium; sine quo dives pauper est
et cum qua pauper dives est: Hec ~~[illegible]~~
in adversitatibus tolerat: in prosperitatibus temperat: in
duris passionibus fortis: in bonis operibus hilaris:
in temptatione tutissima: In hospitalitate latissima:
Inter veros fratres letissima: inter falsos patientissima
In Abel sacrificio grata: In Noe per diluvium
secura: In Abrahe peregrinationibus mansuetissima:
In tribus pueris vigilandis ignes innocenter
expectat: In machabeis saevos ignes fortiter
tollerat: Casta in Susanna erga virum: in Anna
post virum: in Maria preter virum: libera
a Paulo ad arguendum: humilis in Petro ad
adobediendum: humana in christianis ad confitendum:

dum ma in eo ad ignoscendum: Sed quid ego de
charitate maius ac verius possim dicere
quam quod os apostoli laudes eius intonat dicens:
super eminentiorem viam demonstrando atque dicens:
Si linguis hominum loquar et angelorum charitatem
autem non habeam, factus sum sicut es sonans
aut cymbalum tinniens: Et si habuero prophetiam
et noverim misteria omnia. et omnem
scientiam: et habuero omnem fidem: ita ut montes
transferam: charitatem autem non habeam: nichil
michi prodest: Charitas magnanima est
benigna est: charitas non emulatur: Non
agit perperam: non inflatur: non dehonestat:
Non querit que sua sunt: Non irritatur: Non
cogitat malum: Non gaudet super iniquitate
congaudet autem veritati: Omnia tolerat: Omnia
credit: omnia sperat: omnia suffert: Charitas
nunquam cadit: Quanta est ista animarum

Salus: ista fundamentum fidei, fructus diuine pampine: vita morientium: Quid tam Magnanimum: quam pro impijs mori: Quid tam benignum: quam inimicos diligere: Sola est quam felicitas aliena non premit: quia non emulatur: Sola est quam felicitas sua non extollit: quia non inflatur: Sola est quam conscientia mala non pungit: quia non agit perperam: Inter opprobria secura est: inter odia benefica est: inter iras placida est: inter insidias innocens: inter iniquitates gemens: in veritate respirans: Quid illa fortius: non ad retribuendas iniurias sed ad non curandas: Quid illa fidelius: Non vanitati sed veritati. Nam ideo tolerat omnia in presenti vita: quia credit omnia de futura vita: et suffert omnia que hic irrogantur: quia sperat omnia que ibi promittuntur: Merito nunquam cadit: ergo sectamini charitatem: et ea sancte cogitantes afferte fructus iustitie: et quicquid uberius quam ego dicere potui vos inueneritis in eius laudibus appareat in vestris moribus: Oportet ergo ut senis sermo non solum acutus sit: sed etiam breuis. Amen.